

1 Statim atque à te litteras accepi, datas XIII. Cal. Martii
retuli gratias Deo pro amplis beneficiis, quibus nos cumulavit be-
nignitas tua. Et verò, nisi te Patrono foveri nos contigisset, pe-
rieramus haud dubiè. Semper propitius tibi sit Deus, ex cujus tu-
5 telâ hostes nostri fugam arripuerunt. Quid dicam Tutor vigilantis-
sime? Tu patrocínio isto filiorum tuorum gloriam es adeptus im-
mortalem. En jam, decussis capitibus turbarum tandem, etsi serò,
sapere videmur, ut non in prolapsiones has denuò ruamus. Vigiles
erimus pro custodiâ religiosae disciplinae, ut floreat sub tuo pa-
10 trocinio, ut spiret odorem suum. Quin imò ne suscepti à te labores
nostrâ incuriâ pereant, res à te gestae, in recordatione omnium,
aevi perennitate vivent. Cùm promerita tua, Amplissime Cardinalis,
ea sint, quae possint à Deo tantùm justâ vicissitudine compensari,
à nobis vero aequari nunquam; cogitamus, tibi utique forè satis,
15 si nos ea, ut ità dicam, adoraverimus, coluerimusque silentio, ve-
luti res inenarrabiles. Neque ope nostrâ indiges tu, qui sacros
inter Scriptores doctissimus, sanctissimusque, splendes perindè,
atque Aurorae sydus, et fulges Sole meliùs in perpetuas aeterni-
tates. Age, et magno animo filiis tuis patrocinare, ne laedere
20 nos audeat cauda sua tortuosa scorpio venenatus. Te omnes diligi-
mus, colimus, suspicimusque admirabundi, venerabundi: et ego sin-
gillatim, si quae imperaveris, dicto semper audiens ero. Nostra
haec desideria sunt, ô Praeses, ô Tutor vigilantissime, ut vivas
diù sospes, diù felix. Quod superest, opto equidem quàm demississi-
25 me, pulverem lambere pedum Summi Pontificis; centiesque locum exos-
culari, ubi tu vestigia posuisti. Ambiani, VI. Idus Aprilis M. DC. XIX.